



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XIV. Eò processerat Legatorum aviditas ut se ita redderent in procurationum exactionibus onerosos quòd oppressi subditi hujusmodi onera non valebant supportare. Frustra enim fuit decretum Innocentij ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

ordinis procuraciones exigere moderatas, indulgentia concessa eidem ordini non obstante; quia tamen non est intentionis nostrae, nec credimus esse tuae, ut contra ipsorum indulgentiam procuraciones ab eis pecuniarie exigantur, mandamus quatenus cibus regularibus contentus, absque esu carniū, cum ad eos accesseris, prout in predicta indulgentia continetur, procuraciones pecuniarias occasione literarum huiusmodi non patiaris exigi ab eisdem.

Vide Clement.
Ad nostrum. De
causis.

XII. In Gallia quoque nostra motus aliquos excitavit illa Legatorum procuraciones. Colligitur istud ex epistola Innocentij IV. ad Episcopos provinciae Narbonensis, ex qua constat illos difficiles se praebuisse in solutione procuracionum. Extat ea epistola in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Sic autem habet.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem. Volentes ut in vestris & Francia partibus sit uniformitas in procuracionibus sedis apostolicae Legatorum, praesentium auctoritate precipiendo mandamus quatinus huiusmodi procuraciones in provincia vestra ratione praevia reducatis ad legitimum modum qui in aliis provinciis regni Francia observatur. Datum Lugduni 11. Idus Iunij, pontificatus nostri anno quarto.

De hac legatione
vide Odor. Roy
naldum ad an.
1110. §. 31.

XIII. Anno MCCXX. cum Clemens V. Legatos in Galliam misisset Stephanum Tituli sancti Cyriaci in Thermis Presbyterum Cardinalem & Landulfum Tituli sancti Angeli Diaconum item Cardinalem, eisque indulgisset uti quando ea legatio duraret, tam in praesentia quam in absentia procuraciones usque ad summam viginti librarum Turonensium parvorum diebus singulis pro eorum quolibet, pro suis & familiae suae expensis, reciperent a personis ecclesiasticis exemptis & non exemptis illarum partium per quas eos transire contingeret eisque vicinarum vel adjacentium, habuit ista res contradictionem in episcopatu Helenensi, qui tum erat intra fines regni Aragoniae. Nam cum imperassent uti personae ecclesiasticae provinciae Narbonensis perfolverent quingentas libras monetae Turonensis, & Vicarij generales Archiepiscopi Narbonensis personas ecclesiasticas dioeceseos Helenensis taxassent in viginti libris Turonensium parvorum, Raymundus Episcopus Helenensis suo dioecesanorumque suorum nomine respondit non teneri se ad praestationem illius pecuniae, ea videlicet de causa, quod cum Helenensis dioecesis foret de alio regno, nunquam perfolverat procuraciones debitas Legatis aut Nuntiis qui a Romana Ecclesia mittebantur ad Regem Franciae pro negotiis di-

Alia extant in
archivo Archiepiscopi
Narbon.

atum Regem & regnum Franciae tangenti- bus. Allegavit praeterea privilegium Innocentij IV. qui Iacobo Regi Aragonum per speciale privilegium concessit quod si Legati vel Nuntij per sedem apostolicam mitterentur, legationis officium in dioecesi Elenensi minime exercebant, licet sit de provincia Narbonensi, nisi de episcopatu predicto Elenensi faceret mentionem, & quod in regno Aragoniae esset situs. Quin & Infans Sancius Regis Majoricarum, ad quem tum comitatus Rufcinonensis pertinebat, primogenitus & Locumtenens, de eadem re scripsit ad Vicarios generales Archiepiscopi Narbonensis, asserens inter cetera istud redundare in praedictum & gravamen Domini Regis Majoricarum. Quod ideo annotavi, ut ostenderem variis inter- dum contradictionibus jactatas fuisse procuraciones Legatorum, variis coloribus quaesitis.

XIV. Nam eò procefferat Legatorum apostolicae sedis aviditas, ut cum amplissima auctoritate instructi ad provincias accederent, tum in literis pontificiis de legatione sua potestatem accepissent exigendi procuraciones, etiam intentatis poenis excommunicationis, sic se redderent in dictarum procuracionum exactionibus onerosos, ut oppressi subditi huiusmodi onera non valerent supportare, & victum longi temporis brevis hora consumeret. Frustra enim fuit decretum Gregorij X. in Concilio Lugdunensi, qui ad exemplum Innocentij IV. veterat ne procuraciones reciperentur in pecuniis, munerumque receptionem interdixerat. Gradum deinde ad licentiam fecit Bonifacius VIII. qui eis quibus officium visitationis incumbit permisit uti a volentibus Ecclesiarum & locorum visitatorum rectoribus seu personis pecuniam licite recipere valeant pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus quibus visitationis officium personaliter exercebunt. Hinc factum ut sequenti tempore & Pontifices Legatis fecerint potestatem exigendi procuraciones pecuniarias contra majorum instituta, & Legati ad omnem aviditatem proni neque desides essent neque negligentes in exigendis procuracionibus. In quo illud rursum incommodum eveniebat, ut quoniam sedes apostolica, quemadmodum adnotat Ioannes Paulus de Pavinis, pro magna parte per sua privilegia divites a praestazione procuracionum excemerat, pauperes multum gravarentur ex ea pensatione, quae levior non imponebatur, tamenetsi divites ab ea praestanda immunes essent, sicque fiebat, quod de seculo suo querebatur Salvianus, ut pauperulos homines tributa divitum premerent, & infirmiores ferrent sarcinas for-

Cap. Tolle
ex. linc.
interling.
cum.

Cap. linc.
cum linc.

Cap. linc.

Cap. linc.
de p. linc.

Cap. linc.

tiorum, solutionemque sustinerent divitum & indigentiam mendicorum. Sed tandem iustissimæ regnorum & provinciarum querelæ fecerunt ut querelis deinceps locus non esset, abolitis nimirum prorsus illis procurationibus.

CAPVT LII.

Synopsis.

I. Legati pecuniam ex procurationibus collectam effundebant cum probro atque dedecore. Agendum eodem tempore de luxu & pompa Legatorum. Anastasius Episcopus Thessalonicensis notatus.

II. Missus in Germaniam Legatus à Silvestro secundo Frithericus, vir cetera bonus, ambitioso apparatu in provinciam profectus est, ambitiosè provinciam habuit. Ei tamen primus locus datus non est in Concilio quandiù in eo adsuit Archiepiscopus Moguntinus.

III. Hugo Archiepiscopus Lugdunensis & apostolica sedis Legatus, ut magnitudinem suam ostentaret provincialibus, synodum generalem celebrare cogit intra Gallias. Consultus à Rege Ivo Carnotensis respondit istam audentiam non esse tolerandam.

IV. Iam tum Legati contendebant primum locum sibi competere in Conciliis generalibus cum prerogativa suffragij. Sed hanc legem duram & iniquam esse putabant Angli, ut patet ex Gerwasio Dorobernensi.

V. Natiur ambitio Gerardi Episcopi Engolismensis, qui generales synodos congregabat ut Concilio presidens generali amplitudinem sue potestatis gloriabundus inspiceret.

VI. Luxus & ambitio Petri Leonis in legatione Gallica & Anglica, tum perditissimi mores, & ad irruamenta gula sollicitus animus.

VII. Fastus tamen omnis abesse debet à Legatis, ut probatur etiam auctoritate sancti Bernardi.

VIII. Illustre fastus Legatorum exemplum in persona Vvillielmi Episcopi Eliensis, ex Matthæo Parisio.

IX. Item in Pelagio Episcopo Albanensi, quem Innocentius III. Legatum misit Constantinopolim.

X. Item in Egidio Cardinale, qui sub Honorio III. Legatus in Scotia fuit.

XI. Otto Cardinalis Legatus in Anglia tanta pompa tantoque fastu Concilium generale celebravit ut ob hoc ipsum graviter reprehensus sit à Matthæo Parisio.

XII. Narratur historia cuiusdam nebulonis, qui se Legatum ferens apostolica sedis, munera pretiosa ab Abbasibus & Prioribus Anglia exorgebat, ea respiciens que fastus & ambitioni eius non videbantur esse congruentia, reposcens interim pretiosiora.

XIII. Explicatur Matthæi Parisij locus de privilegio Regis Angliæ sophisticè salvando. Privilegium illud in eo versabatur, ut Legatus in Angliam mitti non posset nisi à Rege postulatus.

XIV. Insignia Legatorum, id est, rubra vestes, ex Matthæo Westmonasteriensi. Apostolica dignitatis insignia vocantur ab Innocentio III. & apostolica paramenta atque insignia à Tangmaro.

XV. Hinc colligitur indumenta Romanorum Pontificum, que rubra erant, communicata fuisse cum Legatis posteriorum temporum, sicut olim Pallium. V-

stes Romanorum Pontificum fuisse olim purpureas probatur ex Concilio Remensi adversus Arnulphum & ex Joanne Saresberiensis.

XVI. Probatur etiam ex Ottone Frisingensi, ex Alis Gregory septimi, & ex veteri codice Vaticanano apud Baronium.

XVII. Tum ex Petro Damiani, & Leone Ostiensi. In Pallio sive manto posita olim erat consummatio electionis Romani Pontificis.

XVIII. Legati vestibus rubris usi diù antè quàm Romani Pontifices rubream vestem concederent Cardinalibus. Exemplum in Pelagio Episcopo Albanensi Tum in Dominicanis Polonis. Innocentius IV. Cardinalibus concessit uti galero rubeo. Qui secuti sunt Pontifices, sua & illi decora addiderunt.

I. PROCURATIO Legatorum sedis apostolicæ ab initis satis bonis primùm profecta, deinde versa est in malam consuetudinem exigendi sumptus immensos, qui postea effundebantur cum probro atque dedecore ob fastum & luxum Legatorum. Quod ut ostendamus esse verum, exemplis agendum erit neque obscuris neque ambiguis, & quæ petantur ex auctoribus antiquis & bonæ fidei. Simul autem, ne causas dividamus, de luxu & pompa Legatorum agemus qui graves provinciis non erant ob procurationum exactionem. Neque enim recens est hoc malum. Quippe suprâ vidimus Anastasium Thessalonicensè Episcopum Leonis magni temporibus affectasse celebrationem Conciliorum generalium Illyricianæ Diceseosis, per cujus tractus Episcopus Thessalonicensis erat Vicarius seu Legatus apostolicæ sedis, ut provincialibus potentiam & magnitudinem suam tali modo ostentaret. Medij temporis historiæ apertiora istius ambitionis exempla proferunt, quæ nos referemus.

II. Sedente in apostolica sede Silvestro istius nominis secundo, cum Vvilligis Archiepiscopus Moguntinus synodum contra Canones celebrasset in dicecesi Hildesheimensi, cujus Episcopus erat sanctus Bernvvardus, istèque querelam de ea re ad Concilium à Silvestro celebratum detulisset, primùm damnata est Vvilligis temeritas, deinde placuit synodum Episcopis per Saxoniam indici, Vicarium nihilominus ex parte Domini Apostolici destinari qui synodo presideat. Legatum illum, qui vocabatur Frithericus, summis laudibus effert Tangmarus in vita sancti Bernvvardi. Neque ego ista negaverim. Illud tantùm ex hac historia colligam, etiam tum in modestissimi hominis animum penetrasse ambitionem Legatorum sequentis ætatis. Nam istum ambitioso apparatu in provinciam profectum, ambitiosè illic egisse, docet idem Tangmarus, homo alioqui Frithericus non infensus, his verbis. Frithericus Car-

Vide suprâ cap. 16. §. 11. & cap. 17. §. 4.

Vide S. Bernardi arch. pag. 14.

De Fastu & Dole. notat.

De Fastu & Dole. notat.

De Fastu & Dole. notat.

De Fastu & Dole. notat.

De Fastu & Dole. notat.